



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Adolescens Academicvs Svb Institvtione Salomonis

Musart, Charles

Dvaci, 1633


Cap. III. Domus commodæ delectus.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-49007](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49007)

*Domus Commoda delectus. 4.*



*Hospes non semper ab Hospite tutus.*





*SYMBOLI EXPLICATIO.*

Miselle Adolefcens, rimarum pleno lintre, malefanâ, inquam, ætatis cymbulâ malè vectus, & quidem fedente ad clauum gubernatore cœco & temerario, quo tendis, & quonam euades tandem? nam Academia, ad quam veluti portum nauigas, neq; portus, ac ne fida quidem ftatio eft; tempeftuofum eft mare: pridem monueram.


Hic Scillæ latrant; Syrtes fremunt: Charybdes reboant: latent irarum, gulæ, inuidiæ immanes, multorumq; naufragio infames scopuli: hîc denique blanda illa libidinum pericula Syrenes eludunt. heu? ne ad

A 4      hęc

hec saxa adhærescas: iam aliqui  
alijs etiam modis perierunt, pa-  
ue, & vel sic caue: olim, & verè  
dictum, qui pauet, cauet.

Præteruola, euola. viden' vt  
in rupis tuto recessu sapientia  
superior spumantis freti elisos,  
elusosq; fluctus, & frustra mi-  
naces procellas ridet? eò nauic-  
ulam applica, & nisi perire  
amor est, fortiter alliga. rectè  
habet; excusâ fortunâ ad cla-  
uum sedere diuinissimus, ætatis  
presertim tuæ, gubernator Sa-  
lomon cupit; ille in tutam illam  
sapientiæ sedem nauim propel-  
let; sequere.

CA.



## CAPVT TERTIVM.

*Domus commoda delectus.*

## MONITVM.

Domum sapientiæ aptam studijsque  
accommodam deligito, impro-  
bamque & incommodam fugito.

## SALOMON.



*S*apientia edificauit sibi do-  
mum, excidit columnas se-  
ptem. Misit ancillas suas ut  
vocarent ad arcem. Si quis est  
paruulus, veniat ad me. Prou. 9.

*M*ulier stulta & clamosa, plenaque  
illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in  
foribus domus suæ super sellam in excel-  
so urbis loco, ut vocaret transeuntes per  
viam, & pergentes itinere suo; qui est  
paruulus, declinet ad me. Et vecordi lo-  
cuta

*cuta est, & ignoravit quod ibi sint gigantes, & in profundis inferni conuiuia eius: ibidem.*

*Resili, ne moreris in loco, neque conijcias oculos ad eam; ita enim transibis aquam alienam, ubi præcipitant aqua. ibid. Exod. 7.*

## MENTIS SALOMONICÆ

### INTERPRETATIO.

#### §. I.

*Amentis est hominis, habitationem minimè deligere.*

**A** Pes ad mellificium, aues ad nidos construendos locum opportunum deligunt: imò & syluestres feræ speleorum delectus habent: vt meritò brutis animantibus insipientiores ij haberi debeant: qui, vbi studiorum causâ in Academiam venerint, statim, ac temerè in eam se domum intrudunt: simul ac socij, vel sonora crepitacula heræ & ancillæ garrulæ, huc, huc acclamarint: cùm inrerim noui isti aduenæ nec hospitem, nec hospitam, nec hospitium satis cognorint:

rint: ita fit, vt cœcâ tēpestate in malefi-  
dam stationem delati periculofissimo er-  
rore, atque velut ad quodpiam saxum af-  
fixi, in præfens se turpiffimi naufragij  
periculum sponte conijciant: quâ de-  
mentiâ quid fingi possit absurdus, haud  
video: nam quis sanæ mentis in volunta-  
riam perniciem se induat? sunt nonnullæ  
res, quarum delectus in nostra potestate  
non sit: vt quando communi curru aut  
naui publicâ iter faciendum: ferendum  
enim tunc, quoscunque tibi comites Au-  
riga, Nauta, fors dederint: vt autem ho-  
spitium pro consilio & arbitrio tibi ipsi  
sumas, fas iusque apud omnes conce-  
dunt. Chilonem narrat Plutarchus, cum  
ad cœnam vocaretur, non antè promit-  
tere solitum: quàm eorum, qui eodem  
inuitabantur, nomina sigillatim audiuis-  
set: quod diceret cum quibusdam necesse  
esse vna nauigare, aut militare, eorum-  
que, molesto licet, conuictu atque con-  
tubernio interim vtendum, velis nolis:  
vltrò autem quibuscunque se admiscere  
conuiuis, non videri hominis bene sani.  
Non minus ego quidem sentio, insanire  
& ineptire Academicum Adolescentem,  
qui urbem ingressus conuolat in domum  
planè nesciens, quem istic dominum,  
quosue conuictores sit habiturus: quo

ex

ex imprudentis animi vitio, quid mali formidandum sit, quis non videt? Apollinem castum, & virgines Musas quæris? at forte ibi, quò præceps diuerteris, Bacchus degit, neque ista domus est: sed popina; fortassis etiam lupanar, vbi lupæ, leonesque lenones stabulentur: atque vtinam exemplis nouis, ac priscis careamus! Adolescens innocentissimus Ioseph in malâ domo, quò eum necessaria seruitus intruserat, heram reperit, quæ tentare ipsius pudicitiam incredibili furore, præcipiti amentiam auderet. Samsone quid perdidit? Dalilæ, impudentis scilicet mulierculæ, contubernium: in huius enim hospitio Hercules iste virorum fortissimus viribus cum crine recisis, factâque proditorum irruptione libertatem ac vitam amisit. & quoties, cheu! casus pares, & æquæ funestos in Academijs vidimus, & luximus? at nunc me fortasse rogas quodnam studijs probisque moribus commodum hospitium designem?

Gen. 39.

Judic. c.  
14.

## §. II.

*Quæ domus Academico Adolescenti procuranda, quæ vitanda.*

**S**I me audis, hæc tibi præcipua cura incumbet: eam ut statim sedem deligas, quæ eadem sit ædes sapientiæ, non turpitudinis domicilium. At ubi, aut quæ est ista sapientiæ domus? quasi verò latere quemquam curiosum præsertim possit? septem columnis, & suo ipso situ spectabilis in oculos statim incurrit, eamque Salomon digito intento, ne quem fallat aspectus, demonstrat. *Sapientia, inquit, ædificavit sibi domum, excidit columnas septem: misit ancillas suas: ut vocarent ad arcem.* qui locus, etsi pertineat ad Salomonicum Gymnasium illud toti mundo famâ celebre, quod septem intercolumnijs illustre olim in altâ Sionis arce, ad septem artes in totidem exedris tradendas, visebatur: opinor tamen ex sapientiæ illa domo, si totius loci naturam, situm, opportunitatemque attendas: cognosci faciliè posse, qualem domum optare debeat, qui sapere velit. Istud in Sionæo monte exædificatum collegium in saluberrimo loco prostabat, eratque à templo

templo

templo & religionum sacrario non procul: at longè à foro pecuario, ab operarum nundinarumque tabernis, quæ in inferioris vrbis parte spectabantur. Atque ad eam arcem, & cælo saluberrimam, & alijs studiorum pertractandis opportunissimam, missis ancillis, quasi præconis voce sapientia sui studiosos inuitabat his verbis. *Si quis est paruulus, veniat ad me.* Ita igitur locum in primis deligens editiorem amœnioremque, solis cælique salubrioris. Facit hoc non parum ad firmam corporis valetudinem. Amant Pallas ac nouem Musæ sedem quietam, & otijs opportunam: inter tumultuantium locorum aut hominum strepitus coli se minimè sinunt. Quare in montibus & intra nemorum recessus frequentius habitant, infra vndique allicientibus alludentibusque aquularum riuulis; hinc toties Pindus, Hæmus, Parnassus, Castalius amnis, Aganippe Pegaseique latrices in poetarum libris quasi ipsis carminibus adsibilant, & exaudiuntur. Quid quod 70. sacrorum librorum interpretes diuinum suum opus aggressuri ab vrbe regiâ Ptolomæique aulæ fremitu in amicos sylvarum sinus recesserunt? Denique Lycæum Aristotelis, Platonis Academiam, Ciceronis Tusculanum, aliaque doctorum

doctorum virorum Musæa in reductis locis & lucis, non in foris, aut platearum compitis extiterunt. Hoc ergo primùm: locus, quem incolas, situs sit in fundo salubri, idemque tumultu ac strepitu vacet: non istic esculenta, poculenta ac scruta vendantur, nullæ cauponæ, ne in vicinia quidem: non falsamentarij, salgamarij, myropotæ, fabri ad incudem, alijvé qui dies totos obrundunt, vel occlamitant: non colludentes, aut concurrentes pueri ac puellæ; multò minùs foris fora & nundinæ, obstrepant: domi autem lalantes & illachrymantes infantiuli. perturbant hæc omnia animos ac ab eruditis cogitationibus, doctis que curis auocant.

Tum verò (quod caput est) sapientiæ veluti templum quoddam sit domus, in quam hospitandi causa diuerteret. Sapiens, inquam, sit dominus, sapiens hera, sapientes ancillæ, sapiens (vno verbo) tota familia: ad eam sapientibus, religioni, virtuti que ipsi aditus semper pateant, vitijis atque flagitiosis hominibus fores omnes occludantur. Hic ista cauenda, ne herus ac liberi helluones sint, ac ganeo-nes: sit enim alicubi; vt aliquando hera, filiæ familias ac ancillæ, non dico sint scorta, at ne saltem perfrictæ sint frontis mulier-

mulier-

mulierculæ libidinum incertina ac faces vide. Perijsti miser, si eò incideris. atqui frequentius incurrunt istæ Syrenes in Academijs, quàm in Peloro Sicilię promontorio: vbi blanda illa maris pericula voce, tibijs, cytharâ, facto ad cuiusque præteruchentis ingenium geniumque lenocinio cantant, ac incantant reuera: nisi (quod olim Vlysses & socij fecerunt) malo te adstringas, & ocysimè præteruoles. Hic verò, ne exterus homo ac peregrinus, decipiaris, Academice Adulescens, Sapientissimus Salomon heram istiusmodi exitiosam Academiae Syrenem, aut eius filiam, aut ancillulam ita affabrè velut in pictâ tabellâ exhibet: vt de vultu ac ore statim agnoscas; si oculos tantum aperueris. *Mulier, inquit, Stulta & clamosa: vt quæ insipientiam suam insanâ vociferatione palàm prodat, plenaq; illecebris: lenocinia ista sunt tum formæ, tum verborû. interim nihil omnino sciens, quid verò agit? nihil etiam omnino. Sedet in foribus domus suæ super sellam, in excelso urbis loco; non quietis aut recessus amans: sed in editiore parte quasi ad aucupium; scilicet, vt vocâret transeuntes per viam, & pergentes itinere suo. Simulat autem Sapientiæ & vocem & verba: Qui est paruulus (clamat) declinet ad me: Et recordi*

cordi locuta est: quid locuta est? tacet hinc  
 quidem Salomon: at Philo, postquam  
 personę illius habitum geniumque etiam  
 ad viuum expressit, eiusdem orationem  
 omnem ac loquelam ipsam ita refert: ut  
 non modò audire, sed etiam videre vi-  
 deat. placet ipsius verbis scenam hanc  
 omnem peragere. *Accedit, inquit Philo,*  
*cum ornatu meretricio, fracto incessu pra-*  
*mollicie, obtutu lasciuo, inuincans animos iu-*  
*uenum, temeritatem & impudicitiam prefe-*  
*rens in oculis, elatâ ceruice, super natiuam*  
*statuam assurgens, ridens, cachinnabundaq̃,*  
*calamistrata & concinnata, fucata faciem,*  
*piculis supercilijs, recens lota, purpurissata, pre-*  
*cioso floridoq̃ amicta palliolo, aureis gemma-*  
*risq̃ armillis superba & mureculis, mundoq̃*  
*muliebri catero spirans unguenta fragrantis-*  
*sima, non tam domum suam, quàm fora com-*  
*pitâq̃ diligens, petulans, suę formę prodiga,*  
*asciuitia verò auida. quonam verò in comi-*  
*tatu? cum ea pedisseque domesticę vafricia,*  
*iniustitia, nequitia: quibus stipata more prin-*  
*cipis sic pertentat animum. Hic iam tu mihi,*  
*bone Adolefcens, sepi aures spinis, quæ-*  
*so, ne Syrenum illices cantus audias.*  
*Heus tu, inquit illa, omnium humanorum*  
*bonorum thesauri apud me sunt reconditi:*  
*apud me est relaxatio, securitas, quies, labo-*  
*rum obliuio, utensilium varietas, vocum mo-*

Tractatu  
de merce-  
de merce-  
tricijs.

D

dula-

*dulamina. Satisne? Luxus in cibo potuque, odorum suauissimorum plurima species, amores perpetui, lusus licentissimi, sermones sine reprehensione, actiones sine castigatione, vita sine sollicitudine, somnus mollissimus, satietas inexplebilis. O Circe! Medeam! triueneficam orationem! pergit. Perinde, si tibi placet meum contubernium: parata habebis in hac omni copia, quacunque delectant: maxime mihi erit curæ, ne quid desideres esu potuque suauæ, aut oculis auribusque gratum & naribus: poteris enim rebus omnibus, quascunque concupueris, pluribus in assumptarum locum subscatentibus. Quid ad cupidam voluptatum ætatem dici potest accommodatius? heu me! aureo illo calice hausit iam quispiam præsens venenum. ergo illecebrarum blanditiarum glutine captus trahi se finit in infortunatam domum, in cæsces, in laqueos, in certissimam perniciem; & ( vt ad Salomonem, à quo nos Philo tantisper abduxerat, redeamus. ) Ignorauit miser, quod ibi sint gigantes ac in profundis inferni conuina eius: qui enim applicabitur illi: descendet ad inferos: Iam planissime actum est; funditus periisti miser, postquam in stygium istud hospitium incidisti: non istic hominis, id est, viri cuiuspiam humani domus est: sed gigantis, sed Cacodæmonis: ( quæ Hebræi textus est  
 expli.*

explicatio) istic malus dæmon canponatur, istic instrumenta habet artis suę, istic nequiciam suam exercet. O diras epulas! O mensas exitiales! ibi rides & festiuus cum socijs prandes; at breui cum tuis illis compositoribus ac conuiuis cænabis apud inferos: is enim est tandem perdiri istius contubernij finis, funestissimulque exitus. Quid verò tum consilij cum ista iam te tempestas absorpserit? nec dum omnino conclamatum.

## §. III.

*Statim mutanda sedes. si quam in malam domum incideris.*

**A** Vdi 70. grauissimorum senum sententiam & sequere: ita illi ad Salomonicam paulo superius allatam præceptionem è suo, quasi per interpretationem, subtexunt. *Resili, ne moreris in loco: neque conijcias oculos tuos ad eam: ita enisit Brasilis aquam alienam, ubi præcipitant aqua.* Cuius saluberrimi consilij hic est sensus ad rem præsentem plurimum pertinens: peregrinis aquis profundum quoddam præcipitium est domus improba hospite: si fieri possit clausis oculis

præteruola; vt ne quidem per transfennam videas, pereasue: quod si ingressus, vel veriùs, præcipitatus es in altum malorum istud pelagus: *heus resili, ne moreris in loco*: sed statim casu admonitus emerge, & alio in tutam stationem demigra: exempla hic etiam habes, quæ imiteris. Ioseph, quem paulò antè memorabam: vt primùm ab impudica hera tentari pudicitiam suam sensit: nihil immorandum ratus veluti viso angue pedem retrulit, relicto etiam in peruicacis mulierculæ manu pallio. Visu & glutine captus es? vim tibi infer, tricas & laqueos exue, ac aufuge. Scribit Plutarchus Antigonum, virum facile principem, cum Dianæ Antistitam vidisset excellenti formâ præstantem, è vestigio Epheso cum socijs excessisse: *Abeundum, inquebat, ne quod vel inuitus incestum ac turpe flagitium oculis primùm, mox toto animo hauriam, aut designem*. Igitur domicilium ille in tota vrbe satis tutum nullum sibi fore ratus est, in qua vel vnica habitaret speciosa mulier: quæ fulminaret oculis (vt cum S. Hieronymo loquar) id est, suo aspectu & afflatu diram oculis animisque perniciem crearet: quo in genere laudis, nescio an haud magis excelluisse credendus sit Antigonus alter, de quo sermo est apud eundem

In Apoph.  
Græc.

In quada-  
dam Epist.

eundem scriptorem: hic enim, cum Philippus eius filius tum adolescens ardentem optaret apud viduam faminam diuertere: cui tres filiae erant formae insignes, vocato ad se eo, qui designandis hospitij praeerat: *Non tu, inquit, filium meum ex istis angustijs expedies?* Angustias ac pedicas vocabat domos, in quibus Adolescentum pudor periclitaretur. Idem existima, Adolescens Academice, in tuto, inquam, fac habites, eosque lares ac penates incole, in quibus virijs exclusis soli virtuti ac sapientiae sacra fiant: hoc pridem monuimus. At quisnam tandem, inquires, iste est locus, quem mihi pridem describis, saluber, idoneusque valetudini, honestis studijs ac probis moribus, & quam identidem sapientiae sedem appellasti?

## §. IV.

*Seminaria, & collegia commendantur.*

**D**ifficile est, fateor, in tam fortunatas insulas enauigare: in quibus praesertim ista omnia affatim, quae requiro, ex ordine, atque exacte reperiantur: optandumque illud fortasse magis, quam

Sperandum: tamen adhibitis ad exquisi-  
tionem observationemque viris prudenti-  
tibus, & multo ante per literas, aut co-  
ram consultis cordatioribus, Deo pro-  
pitio, nancisceris, obtinebisque aliquid,  
quod saltem minus incommodet multis,  
ac vitæ probitati.

Quod si virum quempiam honoratum,  
huiusmodi, (inter Academicos præcipue)  
repereris, qui probè ac piè familiam ad-  
ministrat; neque vitia domi toleret, cum  
adibis: si voles, non reluctabor: ferè ta-  
men ( nisi mea me fallit opinio ) ab Ado-  
lescentibus Academicis, Philosophiæ  
præsertim studiosis, Seminaria & Colle-  
gia rutiùs fructuosiusque habitantur: at-  
que ipsa in primis nomina Seminariorum  
Collegiorumque ad se inuitant: siqui-  
dem Seminaria campi sunt & horti, in  
quibus fatiux arbusculæ, tanquam in  
pinguiori salubriorique solo, sub perui-  
gili moderatorum curâ vtiliùs educan-  
tur: vt in rerum præstantissimarum spem  
& frugem aliquando adolescant. Sunt  
etiam Collegia cætus optimorum Præ-  
sidum, ac Præfectorum; quorum vigilan-  
tiâ animi Adolescentum ad litterarum,  
bonorumque morum studia certis offi-  
ciorum legibus diriguntur, & ad munus  
rectè obeundum ( si opus est ) adiguntur.

Et optandum quidem esset fortassis: ut sanctior alicubi disciplina seruaretur, & subinde seueriores adessent studiorum morumque præsidēs: ut tamen hæc desint, saltem à Magistris ipsis, quid eo loci à quoquam agatur, cùm quærere libuerit, faciliè resciri utcunque, & monitionibus atque increpatione nonnunquam acriore corrigi potest: à mensa saltem, à foco, à triclinio, à cubiculis absunt fœminæ, periculosissimum animalium genus: quam vnâ rem tanti duco: ut merito cordato cuique parenti pro liberis Seminaria, Collegia, pædagogia præ plurimis priuatorum ædibus deligi debeant. Nihil de solo cæloque, quod ferè quietissimum commodissimumque eiusmodi sedibus extruendis designari solet, dico, nihilve de alijs adiumentis ac præsidijs, quæ ad bonam studiorum vitæque rationem instituendam ijs potissimum in locis reperiuntur. Nam dic, quæso, vnde alioquin ex istis velut Equis Troianis tot existere videmus Adolescentes optimè à litteris & virtutibus instructos? nisi quia ijs potius in locis sedem ac domicilium sibi figi sapientia ipsa constituit. aut quâ aliâ de causâ tot viri sanctitate atque eruditione præstantissimi, in Tridentina Synodo, ad religionem partim stabilien-

dam, partim restaurandam, collapsosque mores erigendos coacti, Seminaria in Academijs exstrui voluerunt, aut etiam ipsi exedificarunt, fundarunt, dotarunt? multa in hoc genere ac multos laudare possem: si excurrere aut fas, aut animus esset. Verùm de domorum habendo delectu dictum à me hoc loco satis, vereor etiam vt prolixior fuerim.

## O R A T I O.

*Pro luce diuinitus impetranda, ad reperiendam sedem studijs & moribus accommodatam.*

**A** Ppuli in Academiam, & vt i nauta in portu naufragium timeo. Hei mihi! Domine Deus, quantus me æstus, quantus turbo arripit! quàm feruet & tumultuatur mare! nam totus hic mihi redit à marinâ belluâ voratus Ionas. Dirige, Domine, in æstuanti salo fluctuantem nauiculam. Quot hic sunt pericula? solus mihi Salomon minimè sufficit: mitte lucem tuam; vt me dirigat: mitte & Angelum tuum sanctum de cælis, qui ad proram optimus magister sedeat: vt que Raphaelolim Tobiam iuniorem è domo paternâ

paternâ in exteras oras profectum, per omnes suæ peregrinationis vias illeſum, primùm in optimam Raghuelis ac Saræ domum duxit: deinde incolumem & bene fortunatum ad ſuos reduxit: ita bonus quiſpiam Angelus meum ſic quoque curſum regat: vt hic primùm in bene tutam aliquam ac fidam ſtationem, ac poſtremo ad æternæ fœlicitatis portum pertinere valeam. Amen.



SYM-